

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**HAEMOPTYSI**

QVAM  
*PRAESIDE*

**DN. ABRAHAMO VATERO**

PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ANAT.  
ET BOTAN. SVBSTITVTO

DOMINO PATRONO AC PROMOTORE SVO  
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

**PRO GRADV DOCTORIS**  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
MORE MAIORVM

OBTINENDIS

*VITEMBERGAE DIE XIV. JUN. MDCCXXXII.*

LOCO AC HORIS CONSVETIS

TVEBITVR

*AVCTOR ET RESPONDENS*

**CHRIST. FRIDERICVS MICHAELIS**  
SITZENRODA-MISNICVS.

---

*VITEMBERGAE, LITTERIS HAKIANIS.*

ll. diss. A  
7, 25

*Diss. A. 227. (25)*

*46*

*[Handwritten signature]*





## PROOEMIUM.



Orpus nostrum, machina hydraulica, sed infinitis modis parata, tot uariis incommodis, uix ac ne uix determinabilibus, torquetur, ut nullam in illo reperturus sis nobilem partem, nullum membrum, nedum articulum, qui immunis est, et non indiget ope medica; In praesentiarum autem de affectu satis periculoso, qui nuncupatur HAEMOPTYSIS, differendi erit campus; Qua de causa hunc grauem morbum attentius examinandum, de eius causis et medela, quantum sufficit, pro ingenii mei tenuitate pauca proponere, eruditorumque censurae subiicere decreui. Summum igitur Archiatrum precamur, uelit nobis assistere, quo omnia eueniant feliciter!

A 2

§. I.

## §. I.

**Q**Vandoquidem in omni dissertatione rite et ordinate conscribenda, secundum communem eruditorum sententiam, alicuius rei *denominationem* maximopereque necessariam *definitionem* praemittere decet, itaque ab hac ordiri animus est.

## §. II.

Ille affectus, de quo nobis sermo erit, a Pathologis appellatur *Haemoptysis*, uocabulumque origine est graecum; deriuatur enim ἀπὸ τῆς αἵματος, quod sanguinem significat, et πύσις, spuitio, a uerbo πύω, spuo, excreo, adeoque ui uocis nihil aliud, quam sanguinis exspuitionem, denotat.

## §. III.

Aliquando autem *Haemoptysis*, in sensu lato sumpta, omnem sanguinis per os reiectionem, uel ex summitatibus narium, faucibus, gingiuis, aesophago, larynge, pectore, uentriculo, innuit: In sensu autem specialiori, seu strictiori, illa communiter sub hoc nomine tantum Autoribus uenit, qua uel cum, uel sine tussi, ratione consistentiae sanguis, ex organis respirationi dicatis, nunc sincerus et copiosus, nunc mucosus uel pure admixtus, per asperam arteriam excernitur.

## §. IV.

## §. IV.

Licet quidem Autores practici hoc in passu non sint unanimes, sed ualdopere dissentientes, quapropter non exiguas excogitarunt definitiones et differentias; quæ tamen et similia iam silentio prætermittam; Consultius nunc esse arbitror, huius uocabuli ambigua significatio, magni existens momenti, ut clarius innotescat, quoad *Synonymiam* nostrum affectum describere.

## §. V.

Eam diuersam, sub uno eodemque significato, semel in scholis Pathologorum receptam denominationem sequentibus illustrant characteribus; Quare a nonnullis *sputum sanguinis, reiectio sanguinis, sanguinis fluor, sanguinis uomitus, haemoptoica passio*, uernacula lingua **das Blut = auswerffen, Blut = speyen, Blutstürzung** dicitur.

## §. VI.

HAEMOPTYSIS, uel HAEMOPTÖE, nihil aliud est, quam sanguinis, ex organis respirationis, speciatim ex pulmonibus, per os, tussiendo reiectio, a uasorum illud uiscus constituentium dilatatione uel ruptura.

## §. VII.

*Subiectum* igitur huius affectus principale constituit pulmo, ceu uasa sanguifera, per illud nobilissimum

uiscus dispersa; Arteria enim pulmonalis, insignis capacitatis, quae e dextro cordis deducitur uentriculo, sanguinemque ad nobilioris illius partis peripheriam, summopereque ad vitam continuandam necessarium deferens in myriades pene ramulos furculosque dispescitur, ut itaque tota pulmonum substantia ex meris uasculis sanguifluis uesiculisque artificiose fabricata esse, uideatur. Huc praeterea accedunt uenae pulmonalis ramificationes, pro absorbendo et reduciendo sanguine, tandemque in unum truncum coalescentes, eundemque iterum ad cordis isthmum lege circulationis protrudentes, destinatae. Ex hac itaque descriptione anatomica, ad scopum nostrum necessaria, quilibet, me silente, facile animaduertet, subiectum Haemoptoyseos primarium, tam uasa arteriosa, quam uenosa constituere; Quid de asperae arteriae, ductuumque trachealium, earumque extremitatum orbicularium distributione, adhuc dicendum superest, de iis non est quod agam, ea tantummodo, quae scopum nostrum attingunt, perpendere, animus est.

### §. VIII.

*Haemoptysis* est uel morbus, uel symptoma morbi, modo erratica, modo periodica, cuius paroxysmus uel breuis uel longus. (a) Ponamus ergo casum, massam sanguinis qualitate uitiosa esse imbutam, nonne arrodendo et male afficiendo uasorum Systema, morbus satis pronascitur periculosus? Aliquando autem homini cuidam, reten-

---

(a) TVLP. Lib. 2. Cap. XII.

retentione fluxus sanguinei, ex. gr. haemorrhagiae na-  
rium, haemorroidalis excretionis, laboranti, simile  
quid accidere, in propatulo est; Imo HIPPOCRATES  
quoque asserit, uirgines, retentis menstruis, non raro  
sanguinem affatim euomere, et a morbis uteri libera-  
ri, ergo eiusmodi sputum sanguineum, tanquam salu-  
tare Symptoma considerari, meretur. *Haemoptysis* uero  
*erratica* uocatur alioquin inordinata, quae separatis et  
incertis temporibus aegrum inuadit; *Periodica*, quae  
definito temporis spatio aegrotantes uexat. Ratione  
durationis paroxysmus est uel breuis, intra semiqua-  
drantis uel quadrantis horulae spatium cum leuamine  
cessans; uel longus, ad unum alterumue diem, imo  
plures annos repetitis uicibus durans; interdum remit-  
tens, subinde recurrens. Sic TVLPIVS meminit cuiusdam  
pictoris, ultra 30. annos sanguinem expectorantis.

## §. IX.

Sanguinis uero istius per superius guttur impetuo-  
sa et celerrima explosio, ratione qualitatis, quantitatis,  
temporis, aetatis aliarumque rerum praeternatura-  
lium abusu mirum in modum uariare solet. Modo  
enim sanguis pituitosus, modo cum pure mixtus, nunc  
grumosus, nunc spumofus, uel nigricante colore prae-  
ditus in conspectum prodit; Quantitatis ratione uero  
sanguis consideratus aliquando ad uncias tres uel qua-  
tuor una uice exspuitur; interdum uero tam immodi-  
cus, ut non sine stupore adstantium ad unam, pluresue  
libras uomitu per os reiciatur. (b) Tempus autem  
uernale

(b) RHODIVS *observ. C. II. obs. 34.*

vernale magis accommodatum esse, ad Haemoptysin excitandam, quotidiana testatur experientia; Quamuis quidem tempore autumnali et hyemali non raro quoque homines eiusmodi corripiantur malo, et nequaquam ab illo sint immunes: attamen, ut plurimum in praedispositis subiectis praedicto tempore facili negotio sanguis ad orgasmum disponi potest; Imprimis autem hominibus in aetate iuuenili constitutis, magis, quam perfectioris aetatis hominibus, eum affectum familiarem esse, quis est, qui dubitet? ratio haec, quoniam illi copiosiore calidioreque sanguine abundant, corpus vehementius commouent, plerumque regulas diaeteticas negligunt, aliosque in diaeta committunt errores.

§. X.

Nunc ordo exigit, ut de *Causarum* huius affectus doctrina solliciti simus, quare primo de causa praesentis mali immediata uerba facturus sum. Licet quidem causae, ut ingenue fatear, hunc nostrum morbum fouentes adeo sint multiplices, uariae, et sane mirabiles uix ac ne uix definiendae; nihilominus tamen quae ad hanc Thesin perspicuam reddendam pertinent, in praesentiarum contemplantur. *Immediata* igitur *Causa*, ut paucis me expediam, in effusione sanguinis uel a relaxatione, ampliacione, uel a ruptura arteriolarum pulmonalium, asperae arteriae, similiaeue aliarum consistit: Quem enim latet, uasa aliquando sanguifera, copia sanguine peccante, uel motu nimis fortiori ad rupturam usque expandi, imo nonnunquam per plagam externe infl-

etiam



etiam contusionem, uulnerationem, casum ab alto (c). uel aliam quamcunque uiolentiam externe applicatam et pectori inflictam, Haemoptysin subsequutam fuisse; Ideoque etiam quilibet me silente perspicue huius Phaenomeni reddere poterit rationem; Ponamus igitur casum, uasa sanguifera cruore uel sanguine quasi turgescere, corripuntur saepius aegrotantes Lipothymiis, Febribus acutis, uertigine, paulo post in Haemoptysin incidunt. Deinde sanguis motu peccat, dum ipsius particulae intestino efferuescunt tumultu, uasa distendunt, quin imo rupturam aliquando promouent; si itaque eiusmodi uitiosae sanguinis particulae, in pulmonibus existentes, copia uel qualitate uitiosa sunt infectae tenellorum uasculorum arteriosorum extremitates arrodendo, uel impetu acrioris sanguinis dissoluendo uias spiritalis male afficiunt, propter Sanguinis per uenas autem legitimam reductionem interceptam, hinc extendendo arteriolas, easque lacerando sanguinem propullulare, autopsia multorum eheu Practicorum satis superque comprobauit. At enim uero, si globuli sanguinis figura male sunt constituti, uel in massa sanguinis ipsa diuersae indolis praedominat acrimonia, ex qua acres, ferosi crassique humores praeparantur, similiue labe alii laudabiles succi inficiuntur, nonne Circulationis lege ad uiscera eiusmodi impuri humores feruntur, et si tandem ad pulmones ascendunt, subtilissimam, teneramque hu-

B

ius

(c) ZACVT. LVSITAN. lib. 2. Cap. 6.

ROLFING. Med. Comm. lib. 2. sect. 3. Cap. 35. p. 122.

ius nobilioris uisceris substantiam uesiculo-uaiculofam arrodendo, ipsas arteriolas pulmonales dilatando, ad rupturam usque disponunt; Idem quoque iudicium esto de asperae arteriae aliorumque Vasorum huc spectantium laesione.

### §. XI.

Nunc aliae causae remotae et procatarticae sic dictae sunt considerandae; Huc referri meretur aetas iuuenilis, dispositio uasorum tenerioris texturae, uel a natiuitate, uel iam successu temporis acquisita, deprauata chylicatio, congestio pituitae in pulmonibus, constitutio plethorica, Temperamentum sanguineum, calidum, particulis acris compaginatum, cibi acres, austeri, potus spirituosus, particulis uolatilibus impraegnatus, Spiritus Vini abusus, ingurgitatio aquae gelidae post nimium aestum, corporis uehemens motus, saltatio, uociferatio, tussis ferina, (d) catarrhi acriores, uenena corrosiua, inflammatio; omnia haec et similia Haemoptysi occasionem dare ualent. Porro huc spectat mensium emansio, quam ob causam mulieres uirginesque ab hoc malo non sunt immunes, et saepissime ob sanguinis retentionem, uasorumque ad uterum spectantium occlusionem, sanguinem, superiora uersus regurgitasse,

---

(d) WILLIS. *Pharm. rat.* P. 2. pag. 155. qui huc refert abusum Thermarum. It. CORN. STALPART van der WIEL. *observ. C. 1. obs. 23.* Item LANGII *disp.* pag. 197. de *pe-ctoral. aeffct.*

tasse, et Haemoptysin excitatam fuisse, res experientiae est.

## §. XII.

Nunc more consueto ad Diagnosin progressum faciamus, quoniam necessitas explorationis, circa sanguinis sputum magni existit momenti; quare Medicus in morborum cognitione uersatus hic non quiescere debet; qui non solum sanguinis quantitatem & qualitatem, sed quoque fontem primum probe inuestigare debet, ne quis falsam methodum medendi contrariis applicet causis, quae magis in detrimentum, quam emolumentum, aegrotantium uergit; Imminentem uero Haemoptysin ex laryngis titillatione, calore ad tractum faucium, asperaeque arteriae, tussi exquisita, anhelosa respiratione, spasmodica pectoris tensione, tinnitu aurium, grauius capitis dolore, tenebris ante oculos obuersantibus cognoscere solemus. Deinde diligenter inquirendum est, unde illa euacuatio sanguinis originem traxerit? Prostant enim Practicorum obseruationes, qui huius affectus causam aliquando lienem, hepar, uentriculum constituere, quare necesse est, ut harum rerum habeamus rationem; qui sanguis autem e pectore reiicitur cum tussi, liuidus est ac nigricans, inquit SENNERTVS *lib. II. part. III. Cap. VII.* si uero spumosae esset consistentiae, efficacem esse coniecturam, e pulmonibus prouenire, scribit HIPPOCR. *5. Aphoris 13.* Haec omnia autem cuiuslibet Medici

ingenio sunt committenda, quare colloquium cum aegrotante instituere, omnes circumstantias probe inuestigare, uti mea fert opinio, non erit labor frustraneus.

§. XIII.

Denique methodus legitima nos ad *Prognosin* adducit. Omnis euacuatio sanguinis immodica per os facta periculi est plena: Quo maior copia sanguinis excernitur, eo maior spirituum animalium oritur penuria, vires totius corporis insigniter franguntur, hinc satis periculosa et funesta sequuntur mala; Nemini quoque erit ignotum, per uenae sectionem improuide a chirurgo aliquando institutam, nimiamque sanguinis copiam exantlatam, fuisse denatos homines, ne dicam de aliis excretionibus sanguineis, e. gr. de fluxu nimio menstruo, haemorrhoidali, lochiorum fluxu, haemorrhagia narium, etc. quamuis quidem eiusmodi symptomata critice aliquando contulerunt ad salutem, et nihil prorsus mali secutum fuit, autopsya tamen confirmat, nonnunquam periculosum post se traxisse euentum. Quando autem paroxysmus repetitis uicibus uno die bis uel ter cum insigni uirium prostratione aegrotantem inuadit, si adest tussis, grauius pectoris dolor, profecto non salutem pollicetur. Caueat deinde sibi aegrotans, ne in cachexiam uel febrem hecticam, uel alium morbum periculosum incidat, et si tandem eo peruenit, saepissime omnium remediorum efficaciam elu-

eludit; Sin autem canales aerei subito quasi filo constringuntur, et uniuersum respirationis negotium, cessare videtur, anxieque sibi expetunt auxilium propter suffocationis periculum, imo praecordiorum anxietates, citra omnem spem et opinionem uitam cum morte mutant. Ab irritatione uenenatarum, acrimue particularum sulphurearum oborta Haemoptysis pulmonum substantiam eorumque texturam crispans, infert lethalityatem; Sanguis enim tanquam in uasis occlusus, lege circulationis ad partes deferri nequit, hinc stagnando corrumpitur, et superuenienti feбри hecticae, uel Phytisi pulmonali occasionem dat.

## §. XIV.

Vasorum pulmonalium apertura, uulneratio, percussio, contusio saepissime mortem infert; at si Haemoptysis febrem comitem habet cum pleuride, iuxta mentem GALENI, incurabilis redditur superueniente Phlegmone, nisi intra 3. dies curatur: Extremarum partium frigiditas, pulsus imbecillis, tussis ferina, angustia pectoris, orthopnoea, dispnoea, sudores colliquatiui, diarrhoeae, singultus et conuulsiui motus ultimam absoluunt paginam. Quo diutius igitur paroxysmus durat, eo peiora sunt metuenda mala; Si uero paroxysmum respicis, quatenus medicamentis conuenientibus, certa temporis periodo eius solatium mox promouetur, inter breues numeratur.

B 3

§. XV.

## §. XV.

Praemissis nunc causis, aliisque sufficienter explicatis, progredimur ad ipsam *methodum medendi*, cuius indicationes iubent, ut praesens paroxysmus extemplo sistatur, quod praestabimus, 1) Si cura ita instituitur, ne sanguis ulterius effluat, 2) symptomata mitigentur, aegerque a futuro paroxysmo immunis praestetur; His ut faciamus satis, opus habemus chirurgicis, Pharmaceuticis et diaeteticis remediis.

## §. XVI.

Primo ad nostrum morbum profligandum et recidivum praecauendum, arma subministrat Chirurgia, ex qua depromimus Venae sectionem, tanquam generosum remedium. Noli autem existimare, ac si indiscriminatim haec operatio cuilibet Haemoptysi laboranti congrua sit? Minime gentium. Haec omnia Medici iudicio sunt relinquenda: Missio autem sanguinis uel propter ipsius abundantiam, uel propter morbi magnitudinem, instituitur; Consultius autem esse, arbitror, statim in principio morbi, uiribus corporis adhuc saluis, modo indicantia id iubent, Venae sectionem instituere, et si forsan conqueritur aeger de palpitatione cordis, cephalalgia aliaque plura apparent signa manifesta, quae usum huius operationis suadent, tunc demum non cunctandum,

ctandum, sed ad istam operationem progrediendum; Ponamus itaque casum, foeminam a mensium obstructione in Haemoptysin incidisse, praetereaue plethoricae esset constitutionis; Velletne tunc Medicus nudum spectatorem agere et naturae id committere? Nequaquam, eo tempore uenae sectio utilitate non caret. Nunc uero quaestio subnascitur, quas uenas pertundere sit consilii? Circa selectum uenarum non est, quod simus curiosi; Etsi quidem pristini aevi medici ea laborabant praeoccupata opinione, ac si ad morbos radicitus extirpandos, unius alteriusue Venae incisio, non sufficeret, hinc existimabant ex. g. Haemoptysin a mensium obstructione obortam, nonnisi Venae sectione in talo instituta posse curari; Aft enim uero haec hypothesis utilitate aliquando non caret, certisque nititur limitationibus, hinc Medicus tali in casu ad finem huius operationis respiciat primarium, qui nonnunquam in eo maximopere consistit, ut aestuanti et celeriter in Systemate Vasorum progredienti sanguini obex ponatur, quo eo melius feliciusque circulationis lege ad partes deferri queat, ergo eam ob causam nihil interest, uti mea fert opinio, nisi forsitan in reuulsionis et deriuationis gratiam instituitur, uel si singulares circumstantiae methodum hanc probant, diuersis in locis, nunc in brachio, nunc pede, nunc alia parte, eam sanguinis euacuationem instituere. (e) §. XVII.

(e) de ambiguo uenae sectionis euentu: ZACVT. LVS. T. 1. 6. §. 148

## §. XVII.

Quod ad scarificationem spectat, eam operationem chirurgicam certis circumstantiis positis, in sine aegrotantibus attulisse solamen, experientia testatur, ubi itaque uenae sectio commode applicari nequit, uel si aeger ab ista abhorreat, aut aetas, uiresque non concedant, uel aegrotantis temperamentum sit cacochymicum, serosum, ita uariis locis, dorso, brachio, scapulae et femori commode applicari potest; Par iudicium esto de applicatione hirudinum, uesicatoriorum, fonticulorum, setaceorum; de quibus non est quod agam, haec et similia ad causarum Haemoptysin fountium ductum applicantur.

## §. XVIII.

Explicatis remediis chirurgicis, nunc quoque medicamenta pharmaceutica e Regno uegetabili, animali, minerali desumpta considerabimus, 1) examini subiicienda sunt purgantia; Etiam si quidem indiscriminatim eorum usus in Haemoptysi non probandus; Ponamus uero, aliquem esse constitutionis cacochymicae, cuius primae viae multa scaterent saburra, ad transitum uero huius materiae peccantis in sanguinem intercipiendum, selectiora et mitiora purgantia, quae nec massae sanguinis turbas creant, nec alios motus producant irregulares, nihilominus tamen uim, sanguinem ab impuris syluestribusque particulis mundificandi, possident, eximii sunt usus:  
Eum



Eum in finem sequentia scil. Rhabarbarina Mercur. dulc. Cass. Fistul. Tamarind. Mann. Syrup. Cichorii c. Rhabarb. Syrup. rosar. solutiū. Pilul. Francof. Emanuel. Magnes. nitri, Sal digestium Syluii, Tartarus Vitriol. etc. et huius generis plura apprime conueniunt.

## §. XIX.

Medicamenta autem sputum sanguineum sistētia, cuilibet deinde causae singulatim accommodanda, in genere dicuntur adstringentia, quae sunt uel mitiora uel fortiora, inter priora pertinent terrea incrassantia, et lenioris naturae adstringentia, ex gr. Corall. praepar. C. C. sine  $\nabla$  praeparat. unicorn. marin. margarit. Corn. alc. Lap. Bez. ocul. 69. antim. diaphor. Terra sigill. Bol. armen. fantalum rubr. terra catech. his et similibus orgasmus sanguinis temperatur.

R. Corall. rubr. ppt.

Lap. Cancr.

unicorn. marin  $\overline{\text{aa.}}$  Scrup. j.

Lac. lunae. gr. IX. M. D. in 3plo. S. silt-  
dernde Pulver.

Vel

R.  $\nabla$ . Borrag.

Bursae pastor.

urtic.  $\overline{\text{aa.}}$  unc. ij.

C

Corall.

Corall. ppt.

unicorn. fossil.  $\overline{\text{aa.}}$  drachm.  $\text{ß}$ .

Syrup. papau. errat. unc.  $\text{ß}$ . M. p. 3. dos. S.

**linderndes Träncklein.**

Si autem febris adest, temperantia cum nitratis et cinnabarinis mixta, potionis et pulueris forma cum euphoria praescribuntur.

R.  $\nabla$ . Plantag

Rosar  $\overline{\text{aa.}}$  unc. iij.

Off. Sepiae

Bolarmen

Terr. Sigil.  $\overline{\text{aa.}}$  Drachm. j.

Syrup. Corallior. unc. j. M. D. S. Anhal-

**tendes und kühlendes Träncklein.**

Vel

R. pulu. Bezoard. Michael.

Cinnabar Antim.  $\overline{\text{aa.}}$  Scrup. j.

nitr. depur. drachm.  $\text{ß}$ . M. F. P.

R. Corall. rubr. ppt.

Bol. armen.  $\overline{\text{aa.}}$  drachm.  $\text{ß}$ .

Lap. haemat. Scrup. j.  $\text{ß}$ .

Syrup. Myrtill.

Cydonior.

Conserv. rosar.  $\overline{\text{aa.}}$  unc. j.  $\text{ß}$ .

$\nabla$ . Plantag. q. S. M. F. I. Electuarium S.

**Anhaltende Latwerge.**

Si

Si haec omnia incassum adhibentur, tunc paulo fortiora ad sistendum sanguinis profluuium, crispandis uasis accommodata, praescribere conuenit; quorsum Crocus Mart. adstring. Tinct. Vitr. dulc. Spir. nitr. dulc. pertinet, his remediis si compefcitur Haemoptysis, adstringentibus diutius non est inhaerendum, sed ad usum Balsamicorum et uulnerariorum progrediendum, inter quae pertinent Tinct. Balsam. Peruu. nigr. Essent. millefol. hyper. Pimpinell. rad. polipod. Liquirit. Capill Vener. pulm. Veronic. scabios. flor. bellid, heder. terrestr. et ex iis praeparata extracta et Syrupi cum exacto diaetae regimine.

## §. XX.

Possent quidem adhuc plura referri medicamenta, quae uero uix necessaria, sed cuilibet idiosyncrasiae accommodanda; quapropter medicus ingeniosus in causarum et morborum cognitione probe uersatus, suapte sponte uidebit, diuersis causis non unam, eandemque, sed diuersam quoque medelam esse instituendam; Medici enim requisitum essentialis consistit in eo, morbos non solum praecedentes, aegrotantis temperamentum, sed actu praesentia, morborum causas signaque probe inuestigare, et tunc demum ad methodum medendi progressum facere; Eam ob rationem pro inutili et superuacaneo habui, de specificis aliquid monere; Nam, ut ingenue fatear, si ad morbos curandos specifica nobis

ad manus essent, profecto non opus foret, ut de studio pathologico tanquam utilissimo solliciti essemus: Qua de causa eiusmodi laborem frustraneum silentio nunc praeteream, et ipsi beneuolo lectori diiudicandum relinquam.

## §. XXI.

Tandem aeger Haemoptysi laborans sobriae studeat diaetae, alimentis euchymis laudabilem chylum constituentibus uescatur; quare carnes iuniorum animalium, potus temperans et medicamentosus, aer temperatus eximia erunt efficaciae; E contra abstinendum a cibis aromaticis, potu spirituofo, sanguinem ad orgasmum disponente, uenere, animi pathematibus; haec et similia enim, quae si ullibi quid ualent, certe in Haemoptysi excitanda, uim suam atque efficaciam monstrare norunt.

Haec sunt dissertationis huius contenta, pro uiribus meis exposita; Nunc itaque acquiescimus in praesenti tractatione, Deo Ter Optimo Maximo humillimas pro assistentia diuina agimus gratias, quem quoque deuotissimis quouis tempore flagitabimus precibus, ut sua clementia nostros labores in futurum benedictione sua comitetur, quo semper exoptatus immineat

*F I N I S.*

*Coll. diss. A. 227, Musc. 25*